



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

II. Quonammodo pœnitens proferre debeat crimina lethalia contra  
Decalogi, & Ecclesiæ præcepta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

298 *Moralis Theologia Tract. II. Peccata,*  
excusare potest: excipiendum item cultum idoli, periurium,  
& si quæ alia similia reperiantur. Igitur post meditationem  
criminum lethalium ex copia proxima elige quod deliqu-  
eris, additòque numero delictorum & in generali præcepto-  
rum decursu & in speciali munerum obligatione sic te accu-  
sare procura.

CAPVT II.

*Quonammodo pœnitens proferre debeat crimina  
lethalia contra decem Præcepta  
Decalogi, & quinque  
Ecclesia.*

§. 1. *Manda-  
ti primi  
praxis.* 6. **C**ontra primum præceptum Decalogi mortalia crimina  
*Crecente.* Quinque modis hoc mandatum de diligen-  
do Deo violauit. Primò circa fidem, dubitando, consentien-  
do, seu exprimendo aliquo signo aliquid contra ipsam, v. gr.  
de providentia Dei, animæ immortalitate, vita futura: ne-  
sciendo necessaria ad salutem. Secundò circa spem despera-  
ui, præsumpsi, Deum tentauit, spem totam in creatura reposui  
*toties.* Tertiò circa charitatem Deum odio habui ob legem  
datam, vel pœnam inferni impositam, &c. non amando ra-  
tione debita, tempore debito in tentationis periculo, &c. *Te-  
ties.* Quartò circa Religionem non orauit spèciatim mortis  
spiritualis, aut grauissimæ necessitatis proximi occasione:  
Officium Canonicum omisi in sacris constitutus, aut Bene-  
ficiarius: Sacrilegium in personis, in rebus, in locis Sacris  
commisi *toties.* Quintò circa vitia opposita Religioni fidem  
præstiti verbis, superstitionibus, vanis obseruantis, vsus iis  
ad malum, aut bonum finem *toties.*

§. 2. *Manda-  
ti secun-  
di.* 7. *Quòtnam lethalia peccata contra secundum præceptum  
committuntur?* Triplici ratione lethaliter deliqui. Primò cir-  
ca blasphemiam in Deum, Sanctos, creaturas blasphemando:  
seu tribuendo Deo, quod non habet, seu auferendo, quod ha-  
bet: seu tribuendo creaturæ, quod est Dei proprium: seu im-  
precando Deo aliquod malum, vel turpia membra propria  
vulgando appellatione. Secundò circa iuramentum, menda-  
cium cum iuramento protuli: dubitans de veritate: sine in-  
tentione faciendi iuramentum emisi. Promisi facere quod  
malum erat grauitè, & non facere quod bonum: indiscretè  
&

& sine vlla causa ex temeritate iuravi cum peierandi periculo: aliquid graue iuramento firmatum iuste, non executus sum: alium ad falsò iurandum vel in tribunali, vel extra iudicij occasionem induxi: non respondi verè iudici iuste sub iuramento requirenti, *toties*. Tertio, circa Votum, Tardus fui in voto implendo: Promisi quod malum; Fregi in graui materia *toties*.

8. *Aperi e nra tertium praeceptum graua delicta. Qua-* §. 3.  
tuor modis fui transgressor. Primò totam Missam seu par- *Mandati*  
tem notabilem sine causa omisi in festis: vel cum magna *tertij.*  
distraczione voluntaria quidem confabulatus sum: vel causa  
extitit alios ad Missam audiendam non accedere. Secundò  
opus seruile, vel aliud prohibitum in festis per tempus no-  
tabile duarum vel trium horarum per me, vel aliis sum exe-  
cutus. Tertio, Quadragesimæ diebus, aut Vigiliis, aut qua-  
tuor Temporibus non ieiunavi, vel carnem diebus prohibi-  
tis absumpsi: Confessionis annuæ, Communionis, & solutio-  
nis Decimarum praecepta transgressus sum, *toties*. Quarto,  
excommunicatus in Diuinis participavi: alicui censuræ lu-  
bens grauem subieci occasionem, & Ecclesiae grauissima qui-  
dem flagella contempsi *toties*.

9. *Quot modis quartum praeceptum mortaliter leditur? Sex.* §. 4.  
Primò, circa proximi dilectionem generalem; inimicis signa *Mandati*  
communis non exhibui: non remisi iniuriam: pacem ne- *quarti.*  
gaui *toties*. Secundò, circa beneficentiam corporalem, in ne-  
cessitate extrema, vel graui eleemosynam non egi. Tertio  
circa spiritualem eleemosynam, fratrem de peccato mortali  
cum adesset spes emendationis, personæ & temporis oppor-  
tunitas, corrigere pratermissi. Quarto circa obligationem  
filiorum erga parentes, non subueni parenti in necessitate:  
non impleui testamentum, & legata: Maledixi, percussi,  
optaui mortem: non obediui in rebus grauib. ad guber-  
nationem domus, ad bonos mores, & salutem animi perti-  
nentibus *toties*. Quintò circa obligationem parentum erga  
filios, non curavi, vt sciant necessaria ad salutem: permisi  
eos malè viuere, vel malum exemplum præbui ex aduertentia  
graui damni exoritur *toties*. Sextò circa obligationem  
conjugatorum, graui iniuria vxorem affeci, percussi non  
leuiter, debitum abnegavi, &c. Non obediui viro in spe-  
ctantibus grauius ad bonos mores, & familiae gubernatio-  
nem. Non reddidi debitum, aut causam malitiosè exhibui,  
vt vir immoderato impetu blasphemaret, iuraret, maledice-  
ret *toties*.

§.5. 10. *Contra quintum præceptum quòtnam peccandi mortali-  
Mādātī litet modi? Quinque modis offendi. Primò enim optaui mi-  
quinti. hi, aut aliis mortem, vulnera, infamiam, graue malum: Ga-  
uisus fui de morte patris, fratrisve ex odio & inuidia: Mo-  
rosè delectatus sum de vindicta, aut de aliorum prosperitate  
gravi inuidia dolui toties. Secundò protuli minas, graues  
contumelias, conuicia ex iracundia toties. Tertiò, occidi in-  
iustè, mutilaui, vulneraui, torfi: Mater infantem in lecto cul-  
pabiliter oppressi, vel causa extiti abortus, vel in me, aut in  
alia procurauit toties. Quartò ad aliquid prædictorum coop-  
eratus sum. Quintò, aliorum scandali, mortis scilicet spiri-  
tualis causam exhibui, v.gr. inducendo ad peccatum, vel pu-  
blicè delinquendo toties.*

§.6. 11. *Contra sextum præceptum quot modis delinquitur lethali-  
Mādātī liter? Septem quidem deliqui. Primò, habui turpes cogita-  
sexti. tiones cum consensu ex obiectu solutæ, nuptæ, sacrae, con-  
sanguineæ, affinis, spiritualis necessitudinis, nefandæ mali-  
tiæ, bestialitatis, sine speciali obiecto: aut morosè accepi de-  
lectationem, aut verbis simul inhonestis, aspectibus, tactibus,  
libidinosi intercedentibus cum hoc, aut cum illa, huius, vel  
illius status toties. Secundò, fœminam cognoui solutam, vir-  
ginem renuentem, conjugatam, consanguineam, sacram, aut  
intra vas, aut extra toties. Tertiò, contra naturam fruius  
sum voluptate, seu mollitie, seu Sodomia, seu bestialitate,  
seu impudicitia, seu pollutionem voluntariam patiendò in  
vigilia cum speciali obiecto iuxta prædicta: aut dedi vo-  
luntariè pollutioni nocturnæ causam. Quartò, oscula lasciu-  
ua, aut amplexus intuli: Tactus sine pollutione mecum, aut  
cum alio, siue inuicem, siue non, habui: Gulæ grauitè in-  
dulsi, ex qua luxuria: Ebrietatem sectatus sum cum nota-  
bili futuro damno præuiso, mei scilicet, vel alterius, aut  
præcepti violatione toties. Quintò diu insecutus sum fœmi-  
nam, perueni ad verba, seu literas amatorias, munera ex pra-  
uo fine, tactus; Ornatu, musica, & aliis vsus sum ad finem pla-  
cendi, & ad carnalem voluptatem prouocandi toties. Sextò,  
lectione librorum impudicorum me prouocaui, optaui ab  
aliis concupisci: me de huiusmodi peccatis iactaui aut falsò,  
aut verè cum delectatione toties. Septimò petui à coninge-  
debitum cum impedimento affinitatis, cognationis spiritua-  
lis, voti castitatis, periculo abortus, effundendi semen extra  
vas toties.*

§.7. 12. *Indica modos grauitè violandi septimum præceptum.  
Mādātī Quinque modis deliqui. Primò circa furtum, in notabili  
septimi. quantitate*

Examen III. De Peccatis Mortalib. cunctis. 301

quantitate furatus sum, etiam à propriis parentibus inuitis: graue intuli damnum: Iustus, & potens non restitui: bona naufragantium vsurpau, & apud mare latrocinatus sum *toties*. Secundò circa merces fraudibus in emptione & venditione vsus sum, seu pretio, seu re, seu pondere, seu mensura, seu numero: emi rem alienam scienter *toties*. Tertio circa vsuras, vsus sum his in mutuo, in emptione anticipata, vel dilata solutione, in cambiis, societatibus; censibus *toties*. Quarto circa fraudem in ludo, cum personis inhabilibus, inaequalibus, quoad artem lusoriam importunis precibus inductis, aut minis ludum iniij *toties*. Quintò circa animum aliena furandi, retinui cum damno domini res alienas, <sup>casu</sup> sed cum iniuria proximi concupiui: modis dictis cooperatus sum; rem inuentam pretiosam, non prius facta domini propriij inquisitione, mihi accommodaui *toties*.

13. Quidnam de grauib. delictis contra octauum præceptum adijciendum? Sex modis hoc præceptum mortaliter §. 8.  
violau. Primò, iniuriam grauem intuli in iudicio iu- Mādat.  
dex, reus, testis, aduocatus, procurator, tabellio, &c. octau.  
*toties*. Secundò mendacium perniciosum protuli: detraxi vel ex falsi alicuius impositione, vel veri occulti, quod infamat grauiter manifestatione: infamaui ex loquacitate: retuli aliorum mala animo infamandi: vel audiui, & cooperatus sum infamationi *toties*. Tertio, releuaui graue secretum absque iusta causa: litteras alienas cum graui inconuenienti aperui *toties*. Quarto, circa susurrationem, seminaui discordias graues, aut irrisi animo confundendi *toties*. Quintò, maledixi, animo quidem, vt, graue malum eueniat hominibus seu immediate ipsos <sup>percuterem</sup>, ~~percuterem~~, suae mediate in animantibus, &c. *toties*. Sextò, temerarium iudicium in re graui admisi, aut cum graui proximi iniuria suspicatus sum: leuia quidem alterius aperui peccata, sed quæ ob personæ autoritatem grauis detractionis locum obtinuit *toties*.  
*Quorum reuelatio.*